

*Benedict. PP. XIV. ad Episcopos  
Prov. Pedemontanae. V. Archiep.  
Tauriensi.*

Pro eximia tua pietate observantiaeque, quam canonicae disciplinae praestare debes, Venerabilis Frater, quem pastoralis creditarum tibi ovium cura jamdiu laudabiliter impensa commendat, plane non dubitamus, quin permolestum quoque Fraternalitati tuae accidat, quod Nos per alias nostras in simili forma brevis literas ad universos Catholici Orbis Antistites, hac ipsa die datas ac typis impressas, tibi cum hisce insimul reddendas, non sine effusis lacrymis communicamus. Etsi autem detestabilem in Missarum celebratione mercaturam, de qua tantopere quaerimus, alibi etiam fieri accepissemus, non ea tamen nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri noveramus, quanta a nonnullis Pedemontii ecclesiasticis et laicis viris frequentari recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut salutare, ad tam sordidae negotiationis et criminis notam a Dioecibus Pedemontii penitus delendam, remedium adhibere satageremus. Verum Nos, ne opinionem, quam omnes de ecclesiasticae disciplinae decore et observantia in Pedemontii Dioecibus vigente habent, minuere videremur, et ut debitum Apostolicae sollicitudinis officii faceremus satis, id scribendi inivimus consilium.

§. 1. Itaque, quemadmodum facile hinc perspicias, Venerabilis Frater, non obscurum hac in re peculiaris nostrae erga unumquemque Pedemontii Antistitem caritatis testimonium, ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro negotii gravitate quam pro nostrae providentiae ratione operam colloces, ut de contagione mercaturae hujusmodi penitus extincta tecum gratulemur.

§. 2. Verum si malorum hominum pericacitas tanta fuerit, ut, poenis per

easdem literas nostras irrogandis arroganter despectis, ad eam confringendam Brachii saecularis auxilio tibi opus sit, illud invocare ne omittas, minime dubitans, quin libentius, quam optas, tibi praesto sit.

Die 30. Juni 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 57.)

Sacerdos faciens ab altero celebrari Missam cum minori eleemosyna accipit illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suae obligationi et tenetur ad restitutionem. Sacra Congreg. Concil. in Anconitana 5. Julii 1664. lib. 24. Decretor. fol. 196.

Sacerdos, cui fuit data eleemosyna pro Missa, non potest illam alteri Sacerdoti celebrandam dare, aliqua eleemosynae parte sibi retenta, etiamsi secundus Sacerdos id sciat et contentus sit. Sacra Congregat. Concilii in Romana Eleemosynae 23. Augusti 1664.

*Ad dub:* An eleemosyna Missarum tam adventitiarum quam fundatarum integra dari debeat celebrantibus vel potius an et quae pars detrahi possit et in quem usum applicanda?

S. C. C. resp.: Servetur solitum, dummodo pars detracta integre applicetur in beneficium Sacrarum ecclesiae.

Die 21. Aug. 1734.

*Bononien.*

Plus testator ita disposuit: Item lascio, voglio e comando all' infrascritto mio erede ed a qualunque persona perveniranno i miei beni che debba far celebrare una messa quotidiana in perpetuo per suffragio dell' anima mia e dei miei antenati, obbligando a questo tutti quei che succederanno nella mia eredità.

Nuper hujusmodi celebrationis onus suscepit sacerdos Orator, qui se acqui-

parans Capellanis semel in hebdomada a celebratione vacavit. Quaerit:

An hoc ei licuerit? Et quatenus negative; an pro supplendis dictis vacantibus satisfecerit tradendo sacerdoti in alia regione celebranti eleemosynam juxta morem illius regionis, retento sibi reliquo, in quo eleemosyna suae patriae illam excedit?

Die 13. Martii 1677.

Negative ad utrumque.

(Anal. J. P. 1864. p. 976.)

*Pro Ven. Monas. S. Gregorii Urbis.  
Emme. et Rmme. Dne.*

In Congregatione habita sub die 22. Februarii prox. praeter. fuit propositum dubium de quo in calce num. unico: An scilicet Sacerdos, qui pro eleemosyna Missae recepit stipendium pingue possit dare alteri sacerdoti pro celebranda d. Missa eleemosynam congruentem, retento sibi quod superest, et responsum fuit: *Negative.*

Jure quidem merito pluries haec Sacra Congregatio damnavit tale lucrum in simplicibus Sacerdotibus, ut refert novissime *Pignatell.* Consult. Canon. tom. 4. consul. 223. a n. 1., *Passerin* de stat. homin. in tom. 2. q. 185. art. 4. n. 863. §. Ac similiter et alii Canonistae alibi passim et ut ex decreto praed.

Nec obstare poterunt nonnullae resolutiones Sacrae Congregationis, ut audivimus ex adverso, allegandae, quia pro omnimoda earundem concordia distinguendi sunt duo casus: alter quando Sacerdos, qui vult sibi stipendium retinere, est Capellanus, Parochus seu rector alicujus ecclesiae, quia tunc Capellanus habens pinguem praependam cum certo onere missarum potest alteri demandare celebrationem, soluta congrua eleemosyna et residuum poterit lata conscientia retinere, ut be-

neficiatus et rector dictae Capellaniae seu beneficii. *Barbos.* de offic. paroch. p. 1. cap. 91. n. 13. et ratione assignat., *Diana* verb. missar. stipendium n. X. fol. lib. vers. quia his stipendium non solum datur pro sacrificio etc.

Alter casus est in eo, qui ad solum intuitum sacrificii dat seu reliquit pro eleemosyna scut. 10. alicui simplici sacerdoti, ut celebret missam unam et tunc non poterit dictus sacerdos solvere congruam eleemosynam alteri sacerdoti retinendo pro se residuum absque incurso peccati mortalis et obligatione restituendi et tradendi summam sacerdoti, qui celebravit, ut prosequitur *Pignatell.* de consul. 223. n. 7. ubi quod illa eleemosyna uti infixi illi oneri missae et data est solum intuitu sacrificii, cessante in sacerdote onere et sacrificio, cessat titulus retentionis pecuniae et consequenter subintrat peccatum retinendo alienam mercedem et obligatio restituendi ut latius *Pignatell.*, *Barbos.* de pot. Episcopi p. 2. alleg. 24. n. 11. ubi, relata contraria opinione, postea testatur illam non esse sequendam ob superventum decretum hujus Sacrae Congregationis de anno 1695: ibi *prohibetur* sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat; *Pignatell.* testatur vidisse aliam consimilem resolutionem anni 1664. die 5. Julii Anconitana eleemosynae et quid ita esse consulendum et ipse consulit *Barbos.* de off. Paroch. p. p. cap. 11 n. 13. ubi supra allegatus n. 10 in fine, ibi: „Si majus stipendium datur solum intuitu sacrificii sacerdos non potest retinere, si vero intuitu personae, potest.“

Indagando igitur an et in quo casu versemur, certum est et nos versari in 2. casu de dante ac demandante eleemosynam certam pro certo numero

missarum, dum Cardinalis Corradus sic ait ibi: „Celebrentur missae triginta pro anima papae Innocentii per sacerdotem etc. cui solvantur pro eleemosyna scut. decem“, ut latius d. n. unico, ita ut d. scut. decem sunt stipendium missae. *Dian.* in Summa, verb. missar. stipendium, 6. Fol. mihi 614. ibi „Stipendium missae dicitur eleemosyna quae sacerdoti offertur pro munere celebrandi.“

Si ergo d. Adversarius electus uti simplex sacerdos ad celebrandum dictas missas has missas non celebret eleemosynam illam et ut dicitur stipendium exuberans non percipere et tuta conscientia valet pro se retinere, quia cessante titulo, cessat relentio. Est enim eleemosyna cum suo onere missae dicendae et non praebenda beneficii, capellaniae, parochiae, ut dicit *Pignatell.* d. n. 7. et alii supra laudati.

Borbos. de potest. Episc. p. 2. alleg. 24. num. 11., *Dian.* in Summa, verb. missa quoad stipendium n. 10. fol. 616. ubi rejicitur opinio Vasquez.

Quare etc.

Joseph Lonio.

(*Ibid.* p. 1017.)

Beatissime Pater!

Vic. gen. Eystett., Michael Fries, humillime SS. Vestrae exponit, in nonnullis paroch. Ecclesiis suae Dioecesis tantum missarum tum in cantu tum sine cantu fundatarum reperiri numerum, ut per eorum rectores coadjutoresque satisfieri nequeat. Quum vero missae praedictae cum certa eleemosyna majoris communiter pretii fundatae sint taxa per legem dioecesanam statuta, detracta jam in ipsa fundatione pro fabrica ecclesiae dimidia reddituum parte, oritur dubium:

1) Utrum vigore Constitutionum Innoc. XII. dd. 23. Decbr. 1697. et Bened. XIV. dd. 30. Junii 1741 sacerdoti, cui celebratio missarum sive in ipsa ecclesia sive in alia committitur, tota eleemosyna per fundationem statuta solvenda sit — an vero sufficiat, ut eadem solvatur taxa per legem dioecesanam statuta, reliqua parte rectori reservata?

2) Et quatenus affirmative, humillime petitur facultas cum ejusmodi parochis dispensandi circa censuram et restitutionem.

S. C. C. resp.: *ad 1*: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

*Ad 2*: Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia absolutionis ac condonationis injuncta singulis rectoribus seu parochis salutari poenitentia prudenti Episcopi arbitrio, iisque graviter monitis, ut in posterum a similibus omnino se absteineant.

Romae die 11. Junii 1858.

*Dispensatio ab hoc praecepto.*

Missionarii et Pastores in Hollandia aliisque regionibus haereticorum et infidelium subjectis exponunt ad eorum notitiam devenisse *Breve* Bened. XIV. de 30. Jun. 1741 incipiens: *Quanta cura adhibenda sit*\*), in quo clericis et sacerdotibus quibuscunque recipientibus eleemosynam seu stipendia pro celebrandis missis districte prohibetur, ne retenta sibi parte eorundem stipendiorum aliis sacerdotibus committere possint celebrationem earundem missarum cum minori stipendio, adjuncta poena suspensionis reservatae Sanctae Sedi ipso facto incurrendae. Quoniam vero in illis regionibus nulla adsunt

\*) Vd. supra p. 219.

beneficia ecclesiastica seu certi redditus ad vitae sustentationem, Pastoribus et Missionariis catholicis a piis fidelibus dari solent pingua missarum stipendia pro earundem missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis sustentationem recipiant in defectu, ut supra, beneficiorum seu certorum reddituum ecclesiasticorum.

Quandoque vero eadem stipendia dantur ratione quidem particularis affectionis vel gratitudinis erga illos Missionarios, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem; multo tunc vero praesertim in exequiis, anniversariis et majoribus festis supradicta stipendia dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacrament. Poenitent. et s. communionis ex pia devotione solent conferre fideles.

Quae cum ita sint, Pastores et Missionarii nullam habuerunt scrupulum retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et missarum celebrationem committere et demandare aliis sacerdotibus indigentibus cum minori stipendio et praesertim illis sacerdotibus, qui sub nomine sacellani sive coadjutoris assistunt et vicem eorundem Missionariorum gerunt, quando sunt absentes et morbo impediti aliisque in similibus necessitatibus. Quodsi Missionarii et Pastores tenerentur totum deinceps tradere stipendium receptum pro celebratione missarum sacerdoti substituto, qui sacrificium offert, vel ipsi Missionarii et Pastores congrua sustentatione privarentur vel si partem et portionem dicti Stipendii dare nequissent sacerdoti celebranti, praecipue pro sacellanis et coadjutoribus, ut supra, necessarium hujusmodi subsidium deficeret in illis regionibus in quibus redditus certi et beneficia pro ministrorum Ecclesiae sustentatione deficiunt.

His igitur circumstantiis sedulo per-

spectis licet, devotissime Sanctitatis Vestrae Oratores pro certo habeant, quod in Brevi supra commemorato pro celebratione Missarum nullatenus comprehendantur, quominus tuto servare possint morem et praxim usque adhuc observatam, nempe in dictis casibus retinendi sibi partem stipendii accepti pro celeb. missarum et cum minori stipendio aliis sacerdotibus missas committere: nihilominus veluti obedientissimi filii et metu suspensionis incurrendae percussi demississime supplicat pro opportuna declaratione.

SS. D. N. Benedict. XIV. declaravit, in prohibitione contenta in superius enunciato Brevi non comprehendi praedictos casus et insuper mandavit hanc pia mentis declarationem praedictis Oratoribus aliisque, quibus opus fuerit, per Officium s. Poenitentiarum esse significandam.

Romae die 6. Apr. 1742.

V. Petra Card. Major. Poenit.

18) Pro missis in Nativit. Dom. et in commem. Omn. fid. def. celebrandis.

Vd. *Nativit. Dom.* (tres etc.); *Missa* (in commemor. Omn. fid. def. in regnis, t. II. p. 108); *Stipend.* (majora Stip. etc.)

19) Missar. omissarum.

Vd.: *Stipend.* (num. accept. licita sit etc., *decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679 et sequentia vota; decr. Alex. VIII. et Innocent. XII.*); *t. III. pars II. p. 164 etc.*

Frequenter sunt supplices libelli a SSmo D. N. et a sacra Poenitentiarum ad hanc Sacram Congregationem remissi pro obtinenda condonatione missarum non celebratarum; sed quia difficillimum ac pene impossibile videtur tutam aliquam resolutionem desuper capere nisi praecognitis facti circumstantiis, ex quibus judicantis arbitrium regulatur, opus visum est in

praesenti folio recensere praecipue capita, ad quae praefati supplices libelli rediguntur et eorum singulis contraponere, quae in facto praescienda videantur, ut Emmi Patres non dedignerent addere, minuere et adnotare prout et eximiae eorum sapientiae atque prudentiae videbitur.

## I.

*Alii sunt Regulares missionarii allegantes pecunias pro eleemosyna celebrandarum missarum collectas, partim in furto subtractas, partim ex mercatorum devotione inexigibiles reditas.*

Exprimendae videntur circumstantiae personarum, locorum et temporum, ut dignosci possit, an adsit necne impossibilitas satisfaciendi et resideat dumtaxat penes eum, qui recipit eleemosynas, vel penes ecclesiam, vel penes totum assem annui redditus missionis.

## II.

*Alii sunt regulares Sacrariis ecclesiarum praefecti, qui eleemosynas manuales partim in proprium, partim in Sacrarii usum errogatas asserunt, nec tamen missas celebrari curarunt.*

Exprimendae itidem videntur circumstantiae praefatae, videlicet personarum, locorum et temporum, cum semper hujusmodi articulo multae occurrant inspectiones.

Quo enim ad praefectos sacrario, qui eleemosynas in usus proprios converterunt, plures casus sunt distinguendi.

Aut enim isti erant incapaces illas recipiendi, quia nempe sunt capuccini, reformati s. Francisci et similes, vel quia in proprio et particulari loco ecclesiae aderat capsula pro colligendis eleemosynis missarum et his casibus obligatio satisfaciendi non videtur quoad personam recipientis, cui stante satisfaciendi impossibilitate concedenda videtur condonatio et injun-

gendum aliquod opus pium, addita clausula *quatenus ad pinguiorem*, casu quo sacerdos sit saecularis.

Aut non erant eleemosynas recipiendi incapaces et hoc casu videtur teneri conventus vel ecclesia, cujus superior invigilare debebat an Sacrario praefectus esset integrae fidei et an missas celebrari curaret ad mensuram eleemosynarum.

Quo vero ad illos, qui non in proprios ecclesiae usus eleemosynas erogarunt, absolute dicendum videtur ecclesiam seu conventum teneri ad satisfactionem.

## III.

*Alii sunt sacerdotes saeculares, qui consumptis pro sua suorumque sustentatione eleemosynis manualibus, allegant satisfaciendi impotentiam, attempta eorum inopia.*

His indulgenda videtur condonatio vel in totum vel pro parte, in qua satisfacere nequeunt, cum clausula *quatenus ad pinguiorem* etc.

## IV.

*Postrema sunt Ecclesiarum capitula quae pro causa omissae celebrationis allegant diminutionem reddituum vel penuriam sacerdotum.*

Plures casus videntur distinguendi et primus quando praetensa reddituum diminutio contigit in fundo seu dote relicta ab eo, qui mandavit celebrari missas.

Secundo quando contigit in universo redditu ecclesiae, cui incumbit onus missarum ad illud fortasse obligato.

Primo casu aut non supererat eleemosyna manualis correspondens numero missarum celebrandarum et facienda est condonatio pro portione excedente eleemosynam; aut supererat eleemosyna manualis et tunc non est locus condonationi.

Secundo casu idem quod supra dicendum videtur et eadem servanda regula.

Verum alia occurrit inspectio. Ponamus enim, quod decem abhinc annis celebrandae erant mille missae a quodam capitulo vel conventu; canonici vel regulares tunc temporis celebrationem omiserunt, nec hodie reperiuntur amplius in humanis. Queritur, an canonicis seu regularibus successoribus facienda sit condonatio vel potius remaneant pro celebrationis implemento obligata bona capituli vel conventus, vel haeredes canonicorum defunctorum? Et quatenus agendo de regularibus obligata remaneant bona conventus, an obligatio hujusmodi locum habeat etiam si ejus redditus vix sufficiat pro alendo sufficienti regularium numero?

Caeterum quando pro causa omissae celebrationis adducitur sacerdotum penuria, quae fortasse auxilium quantitatem eleemosynae manualis, procedendum videtur cum eadem distinctione, an redditus fundi seu particularis dotis relictae vel Ecclesiae forsitan obligatae satisfuerint, necne.

(*Mss. Casanat. t. IV. pag. 464.*)

Die 19. Augusti 1684.

(*Anal. J. P. 1864 p. 1014.*)

## 20) Pro missis perpetuis.

Vd.: *Stipend. pro miss. fund.*

Missarum eleemosyna pro oneribus perpetuis quamvis in Concilio Romano sub san. mem. Benedicto XIII. celebrato anno 1725 praefinita fuerit in ratione obulor. 20. pro qualibet Missa, nihilominus advertit san. mem. Benedict. XIV. de Synod. Dioec. lib. 13. cap. ult. n. 35. in more positum esse, ut quando S. haec Congregatio facultatem tribuit Episcopis Missarum onera reducendi, eleemosynam praefiniri mandet in ea quantitate, quae vel ex synodalibus Constitutionibus vel recepta regionis consuetudine praestari pro Missis manualibus solet.

Caeterum dum agitur de perpetuis

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

Missarum oneribus, si nondum Testatoris dispositio exequutioni mandata fuerit et ob redituum tenuitatem sit locus reductioni, tunc eleemosyna in ratione taxae perpetuae constitui solet, ut in Praenestina 15. Julii 1709, in Nepesina reductionis onerum 24. Junii 1734, in Viterbien. Capellaniae 11. Januarii 1735. Si vero sit decernenda reductio post jam exequutam Testatoris voluntatem, in isto casu, ut ea minori quo fieri possit detrimento sequatur, manualis eleemosyna constituitur, ut in Burgi s. sepulchri reductionis Missarum 30. Martii 1748, in Nepesina reductionis Missarum 15. Februarii proxime elapsi et alibi passim.

Ponderandum denique, an ratio haberi debeat periculi diuturnae Beneficii vacationis et difficultatis inveniendi Sacerdotes, qui pro manuali eleemosyna Missas celebrare velint, ut omnibus perpensis circumstantiis decernatur. (Ex resol. S. C. C. diei 23. Maii 1772 *Aquen.*)

Sacrae hujus Congregationis Sententia est, praefiniendam Missarum eleemosynam ad rationem *perpetuae* juxta Regionis morem ante acceptationem Legati cum Missarum, ut in *Praenestina* relata per Summaria Precum 15. Junii 1709 ut in *lib. 59. Decret. pag. 217, in Romana* similiter relata per Summaria Precum 27. Februarii 1734 ut in *lib. 84. Decret. p. 120 terg., in Nepesina Reductionis Onerum 24. Julii 1735, in Lucana Applicationis Missae quotidianae 12. Februarii 1735 et in Viterbien. Capellaniae 21. Januarii 1744.*

(Ex resol. S. C. C. diei 24. Nov. 1781. *Senogallien.*)

In perpetuis oneribus duplo major praefinienda erat eleemosyna ex notissima Regula, de qua *Scarfant.* ad Ceceoper. lucubrat. can. lib. 3. tit. 13. num. 6. *Rota* in nuper. decis. 88. num. 6. tom. 6., et S. Congregatio in

Bononien. Commutationis voluntatis  
21. Junii 1794.

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Aprilis  
1802. *Urbinate*)

21) Pro missa pro populo applicanda.

a) Si Canonicus vel Archi-  
presbyter est parochus.

*Ad dub.*: An Capitulum teneatur  
praestare Canonico Parocho eleemosy-  
nam pro applicatione Missae pro Populo?  
S. C. resp.: Affirmative.

Die 8. Augusti 1744.

Die vero 5. Dec. 1744 resp.: Negative.

*Ad dub.* 1: An Archipresbytero  
sit solvenda eleemosyna a Capitulo,  
aut Vicariis sit solvenda ab Archi-  
presbytero vel a Capitulo? Et quate-  
nus affirmative vel quoad primam  
vel quoad tertiam partem;

2: An Eleemosyna desumenda sit  
ex Massa distributionum in casu?

S. C. resp. ad 1: Negative ad pri-  
mam partem et quoad secundam elee-  
mosynam esse solvendam Vicariis ab  
Archipresbytero et amplius;

ad 2: Provisum in praecedenti.

Die 18. Decembris 1745.

b) Si Parocho binatio est licita.

Vd.: *Missae* (descriptio.) *Sacrista* (munus.)  
*Indulg. alt.* (Eccles. paroch.) *Reductio missa-  
rum*; *Tabella missarum*; *Clavis pro capsula  
Stipend.*; *Missae* (obligatio celebr.); *Missae*  
(applicatio; decr. n. 5014 dub. II)

*Ad dub.* 1. Parochus Heistermacen.  
in Kelken hujus Dioecesis propter ne-  
cessitatem populi licentiam obtinuit die-  
bus Dom. et festivis bis celebrandi in  
Ecclesia parochiali et pro hoc Officio  
suscepto a Parochianis, qui alias multo  
majoribus sumptibus, quod non pos-  
sunt, Sacellanum sustentare tenerentur,  
remunerationem quamdam accipiunt.  
Quaeritur: num respectu hujus remun-  
erationis obligetur etiam hanc Missam  
secundam, de cujus applicatione  
nihil stipulatum est, pro Populo sive

Parochianis remunerationem praeben-  
tibus applicare pro futuro, ut ipsam  
Missam parochialem, numquam pro  
praeterito, propter omissam bona fide  
hanc applicationem aliquid restituere  
teneatur?

2. Deinde saepius in hujate Dioec.  
contigit propter latitudinem Parochia-  
rum, quod in iis Sacella inveniantur,  
ubi Dom. et festivis diebus sive ex  
foundatione sive ex contractu Parochi  
et Parochianorum Missa celebrari de-  
beat pro incolarum ab Ecclesia Paro-  
chiali remotorum imprimis seniorum  
et infirmorum necessitate vel com-  
moditate. Viget consuetudo quod si  
per foundationem vel contractum de  
applicando Sacro ad certam intentionem  
nihil statutum sit in ejusmodi  
casibus celebrans pro alio stipendio  
applicet vel ad propriam intentionem.  
Quaeritur: num haec consuetudo, de  
cujus legalitate dubitatur, pro fu-  
turo tempore permittenda et num pro  
praeterito aliquid exinde restituendum  
sit ab iis, qui bona fide ea usi sunt?

S. C. resp. ad 1: Negative in casu;  
ad 2: Posse permitti.

N. 5014 die 14. Junii 1845.

*Continuatio ejusdem causae.*

Plures theologi inter quos Emmus  
Card. Gousset (theol. mor. 1. 2, n. 290)  
et reveren. mem. D. Bouvier, Episco-  
pus Cenomanensis (de eucharistia c. 6.  
art. 3.) gratuita hujus applicationis  
obligationem negant.

Quae cum ita sint, humiliter po-  
stulo sequentium dubiorum solutionem.

1. An parochus, qui duas parochias  
regit et ideo bis in die celebrat, utri-  
que parochiae suam missam applicare  
teneatur, non obstante reddituum exi-  
guitate?

2. An parochus, qui in una eadem-  
que parochia bis eadem die celebrat,  
utramque missam populo sibi commissio  
gratis applicare omnino teneatur?

3. An vicarii aut alii sacerdotes  
curam animarum non habentes, si  
quando bis in die celebrent, ut fit  
quandoque seu ut numero sufficienti  
missae in ecclesia parochiali celebren-  
tur seu ut hospitalia, carceres, sanc-  
timonialium conventus missa non ca-  
reant, secundam et ipsi missam po-  
pulo gratis applicare teneantur?

Quod si juxta plures edita a S.  
Concilii Congregatione decreta haec  
obligatio supersit ac maneat, necessa-  
riam dispensationem enixe imploro,  
„ut dioecesis meae parochi, qui bis  
diebus dominicis et festis celebrant,  
unius missae, alii sero sacerdotes, qui  
curam animarum non habent, missae  
utriusque liberam habeant applicatio-  
nem ac licite pro iis stipendium per-  
cipere valeant uti hucusque bona fide  
perceperunt“. Ad hanc indulgentiam  
movere posse videntur multorum res  
valde angustae et eleemosynae multi-  
pliciter ac saepe in bona diversi ge-  
neris opera erogandae.

Si vero hanc dispensationem Sacra  
Congregatio non ducit in futurum  
concedendam, ipsam humiliter rogo  
„ut pro praeterito saltem, attenta bona  
fide, condonationem benigne indulgere  
dignetur“. Hucusque Archiepiscopus.

Praenotandum in facto, praemissa  
narratione cl. mem. antecessorem Epis-  
copum N. . . . . confirmationem fa-  
cultatis binandi pro suae dioecesis pa-  
rochis postulasse „Pastores et vicarii  
qui, duabus distinctis et distantibus  
deserviunt ecclesiis sive in eadem pa-  
rochia sive in diversis vicis positis  
sive illarum una in altera parochia  
pro tempore pastore orbata existat,  
hi soli poterunt memorata facultate  
(scilicet bis in die missam cele-  
brandi) ut in diebus commemoratio-  
nis etc.“; ad cujus preces relatum re-  
scriptum prodit.

In jure autem haec prae oculis ha-  
benda videntur. Qui animarum curam

exercent teneantur jure divino appli-  
care missam pro populo sibi commissio,  
Conc. Trid. sess. 23., c. 1 de reform.,  
Sacra Congregatio in Calaguritana ap-  
plicat. missae pro populo 12. Decem-  
bris 1764 et in Oveten. 19. Januarii  
1774, quod quidem onus ita iis in-  
haeret, ut ab eo vacui ac soluti non  
censeantur quamvis tenues sint redi-  
tus, cum ad id non obstringantur  
propter redditus, sed ratione officii,  
Benedictus XIV. in const.: *Cum sem-  
per oblatas*\*); in qua dissertio prae-  
scribitur, pro hujusmodi applicatione  
eleemosynam percipere iisdem non  
licere. Quod si ibid. §. 8. Episcopis  
facultas tribuitur dispensandi cum pa-  
rochis, quos revera pauperes esse cog-  
noverint, ad hoc ut etiam diebus fe-  
stis hujusmodi eleemosynam ab aliquo  
pio offerente recipere et pro ipso sa-  
crificium applicare, quatenus id ab eo  
requiratur, licite possint, ea tamen  
adjicitur conditio, ut tot missas infra  
eamdem hebdomadam pro populo ap-  
plicent, quot in diebus festis infra  
eamdem hebdomadam occurrentibus  
juxta peculiarem intentionem alterius  
pii benefactoris obtulerint.

Quod vero de parochis, qui parochia infirmo aut  
absente vices ejus gerunt, dicendum  
ob identitatem rationis. Hinc in cit.  
constitut.: *Cum semper oblatas etc.*  
§.: *Quum enim*, cautum est, vicarios  
ecclesiarum parochialium, sive perpetui  
sint sive ad nutum amovibiles, omnes  
indistincte teneri ad applicationem mis-  
sae pro populo ipsorum curae commissio.

Saepe vero quaesitum fuit, num pa-  
rochi duabus parochiis unitis praepo-  
siti duplicem applicare sive per se  
sive per alios missam tenerentur. S.  
Congregatio autem constanter respon-  
dit, parochos hac obligatione minime  
solutos esse, excepto casu unionis ple-

\*) Vd. hanc *Constit.* t. II. p. 79.

nariae et extinctivae, ceu formiter discusso articulo declaravit in Lucen. applicat. miss. pro populo 11. Martii 1774. Proposito enim dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?* Responsum prodiit: Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatar episcopo juxta instructionem. In hac autem instructione Sacra Congregatio episcopum certiore facendum esse putavit, se nunquam dubitasse, „quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aequae principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.“ Nec aliter ad hujus doctrinae tramites judicavit in causa Oveten. missae pro populo 18. Novembris 1826 ad I. dubium.

Ad rem de qua agitur facit S. Congregationis decretum nuper editum in causa Mindonien. applic. missae pro populo propositae inter supplices libellos die 20. Julii 1854, in qua haec duo a parochi, qui duas regebat parochias, proponebantur postulata:

I. An parochi duabus parochiis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus parochiis, quando isti tantum in una celebrent et alius sacerdos illud facit in altera qui pro sua intentione applicat?

II. Si iidem parochi duplicem missam celebrando, scilicet in utraque, ut accidit

ubi non est alius sacerdos, qui pro eis celebret, in una earum potuerunt unam applicare pro duobus nonnullis sibi commissis et aliam ad libitum eorum?

Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolute, censuit:

„Quoad futurum parochum oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque parochiae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium; nec non teneri ad eandem applicationem eos sacerdotes qui vices parochi absentis vel infirmi gerant.“

Ubi itaque parochus duplicem distinctam regat parochiam, atque adeo duplicem parochialem missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultates vero in eo est quando nimirum agatur de una tantum parochiae vel de duabus parochiis unione plenaria et extinctiva conjunctis. Nihilominus etiam in hoc casu S. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in Vintimilien. 19. Decemb. 1835, cum ageretur de concedenda facultate binandi, qui uni praeerat parochiae, ad dubium:

*An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?*

Respondit: Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa.

Quatenus itaque de obligatione in casu gratuita (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, discernendum erit, num sive cum caeteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem missam applicare

debere videtur supponere episcopus) utriusque missae liberam habere applicationem et eleemosynam, habita praesertim ratione indigentiae, percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in citata constitutione Benedictina: *Cum semper oblatas*, in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo.

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videretur, ceu hisce in casibus in more habet S. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo

*Dubia:*

I. An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utriusque parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate in casu etc.?

II. An parochus, qui una in eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commissio gratis applicare omnino teneatur in casu etc.?

III. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu etc.?

Et quatenus affirmative ad I., II. et III.:

IV. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliis-

que festis bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu etc.?

V. An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu etc.?

VI. An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu etc.?

S. Congregatio ad supradicta dubia rescripsit

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, firma prohibitionem recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad III: Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitionem recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad IV: Negative et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV.; *Cum semper oblatas* § 8.

Ad V: Provisum in tertio.

Ad VI.: Celebrata unica missa ab unoquoque affirmative, facto verbo cum SSmo.

Die 25. Sept. 1858.

(Anal. J. P. 1860 p. 1350.)

*Treviren.*

Episcopus Trevirensis sequentia exponit: „Sacra Congregatio Concilii Tridentini Decreto 25. Septemb. 1858 edito, declaravit, non licere sacerdoti, qui binam eadem die dicit missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda missa. Qua de re sequentia proponuntur dubia dirimenda.

„In multis dioecesis nostrae parochiis existunt foundationes, quae vulgo primissariae vocantur (beneficia et simplicia et curata) quibus provisum est ut dominicis diebus et festis praeter quasdam ferias sacrum celebretur matutinum. Ejusmodi vero foundationes